



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Membrum III. De Collocutoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

modestiâ, & humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquatur, nisi de ijs, quæ ministerium pertinent, idque paucissimis verbis. Aliquando profuit huic Ministerio illum deputare, qui notus ac familiaris fuit Exercitanti; hoc enim juvat non solum ad consolationem, sed etiam ad profectum Spiritualem, quoniam aliqui interdum confidentiùs se aperiunt Amicis hujusmodi, quàm ipsi Instrutori, si cum nunquam antea nôrant.

II. Secundò requirit, ut sit Instrumentum Directoris, eúmque de omnibus, quæ circa Exercitantem aguntur, & ipsam Directorem nôsse debere prudenter judicaverit, certio-rem faciat.

III. Tertiò requirit, ut ipsi Exercitanti inserviat, componendo lectum, cubiculum verrendo ( quæ duo ferè tempore Missæ exequetur ) victum, aliâque, quæ opus erit, munda & apta offerendo, magnâque semper charitatem, & diligentiam præferendo; atque inter alia meminerit, etiam pro ipso quotidie orare.

M E M B R U M I I I.

*De Collocutoribus.*

Ad hos duo requirit citatum Directorium c. 6. n. 3. Primò, ut sint maturi & discreti, qui Exercitantem tam exemplo, quàm sermone ædificare, & honesto utilisque colloquio recreare in Domino queant. 2. Ut nullum cum Exercitante nisi utilem, & quidem de Spiritualibus rebus sermonem instituant, nullâ tamen significatione, quòd cum ad hunc vel illum Statum impellere velint. Nam præterquam quòd vocatio debeat esse libera, & à DEO venire, ipsi etiam, qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant, vel suspicentur, eò magis retrahi solent, & contrà, ut experientia sæpe ostendit, eò magis incitari, cum in Directore, Collocutoribusque nullam cupiditatem talem animadvertunt.

M E M B R U M I V.

*De Loco.*

Etiam hic, cum aliquo modo serviat ad Exercitia melius faciendâ, inter causas Instrumentales latiori in sensu numerari